MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ad hora fluminis in loco illo quo ei fuerat revelatus. Et ecce fulgebant sanctorum martyrum reliquie in aque profundo sicut luminaria. Ipsa quoque aqua decurrebat super eas sicut sub sinu fluvii habens eas. Et si alicubi reliquiarum aliquid fuerat derelictum, ab splendore demonstrabatur. Et ita sanctorum martyrum levantes reliquias reverentissimi viri una cum episcopo dei cultore, posuerunt in loculis donec impiorum in christianos per annos plurimos persecutionis turbo transiret. Ita certantes sancti XL martyres. Et sic consummati fulgent sicut luminaria in mundo, deum diligentes, christo credentes, spiritum sanctum confitentes. Et glorificati sunt in christo memoriam sanctam vite relinquentes pro salute omnium credentium in patrem et filium et spiritum sanctum, cui gloria et potestas in secula seculorum amen. Sub Licinio imperatore consummati sunt sancti XL martyres et preside Agricolao et duce Lisia, sub die quinto iduum martiarum, in gloriam et laudem domini.

Prologus in vitam sancti Gregorii pape.

Beatissimo ac felicissimo domino domino Iohanni sancte catholice et apostolice romane ecclesie presuli, Iohannes ultimus levitarum. Nuper ad vigilias beati Gregorii romani pontificis anglorum gentis apostoli, lectione de Paulino civitatis Nolane presule consuetudinaliter personante, visus es a venerabilibus episcopis divino quodam instinctu commotus requirere cur tantus pontifex qui multorum sanctorum vitas texuerat, gestis propriis in propria dumtaxat ecclesia caruisset, presertim cum apud Saxones et apud Longobardos sibi prorsus infendissimam gentem gestis propriis usque polleret. Cumque venerabiles episcopi has ab utrisque gentibus haberi quidem, sed compendiosissime respondissent, meam quoque parvitatem arcessiens precepisti ut vitam ipsius de scrinio sancte sedis apostolice tanto plenius quanto et certius carpere potuissem. Sed cum ego proprie inertie conscius me meis prioribus ac per hoc sapientioribus, qui vitam eius licet breviter tam pio conatu pulcherrimoque stilo descripserant, conferre penitus dubitarem, identidem iubendo vehementer hortatus es ut romane sedis pontificem eiusdem sedis presulis auctoritate describerem, cui deus omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dedit procul dubio potestatem. Itaque tam inperiosis auctoribus tandem expulsus, vix primum librum gregoriane vite compleveram, quando hunc in eisdem vigiliis annua vertigine revolutis tua probavit parte ac publicavit auctoritas. Ergo sollicitior factus ad ceteram, pauca de multis te incentore, te preceptore, te fautore, teque iudice colligens, in libris IIII auxiliante domino coartavi. Et secundum distributionem eiusdem doctoris, qui librum regule pastoralis quadripertita ratione distinxerat, ego quoque illum qualiter ad culmen regiminis venerit in primo huius operis libro perhibui, et ad hoc rite perveniens qualiter vixerit in II. disserui, et bene vivens qualiter docuerit in III. designavi, et recte docens infirmitatem suam cotidie quanta consideratione cognoverit in IIII. conclusi. Neque magnopere tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptavi, quod revera non quando fecisset, sed quantum fecisset sollicitus deflorare curavi. In quibus quamquam multa et varia memoratu digna studio brevitatis commiseri, nichil posuisse me memini, quod scriptorum veterum nequeam auctoritate defendi, exceptis illis miraculis que nostris temporibus facta multis adhuc superstitibus vivis vocibus celebrantur. Si cui tamen aliter visum fuerit, ut assolet, ad plenitudinem scrinii nostri recurrens, tot chartacios libros epistolarum eiusdem patris quot annos probatur vixisse resolvat. Et quia quedam illarum vario tempore destinate varietatem sensuum retinent, easdemque non nullis integre, quibusdam vero parte aliqua diminute, pro personarum locorumque sive temporum dispensatione videntur, fine tenus relegendo conspiciat, sicque demum lucidam veritatem cognoscens me aut cum amasiis defendat, aut cum rosoribus arguat. Quamquam in eo quod tuo iudicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me placiturum perpetuo fore presumam. Peto igitur ut sicut tuis iussionibus humiliter parui, sic beati Gregorii precibus et in hoc seculo ab emulorum insidiis et in futuro a peccatorum nexibus merear misericorditer liberari.

Incipit vita sancti Gregorii pape.

Gregorius genere Romanus, arte philosophus, Gordiani viri clarissimi et beate Silvie filius, prefuit romane urbi annis XIII mensibus VI diebus X, temporibus Tyberii Mauricii et Foce augustorum. Iste senatoria stirpe progenitus tam nobilissimam quam et iam religiosissimam genealogiam duxit, ita ut quartus Felix sedis apostolice pontifex, vir magne in christi ecclesia reverentie, qui basilicam sanctorum Cosme et Damiani martyrum